

rare velint. Et laudantur quidem in variorum chemicorum scriptis nonnulla metalla, quae ad hunc vsum adhiberi queant, sed ea mihi experientia non valde probata esse, fateri conuenit; etsi enim lubenter concedo, cum stannum, tum zincum metallicum, quibuscum haecenus tentamina institui, ex auri solutione rubram calcem deicere, eam tamen minus pulchram euadere illa, quae stanni solutionis rite paratae effectus est, et quandoque fuscam esse, quandoque omnino ad nigredinem vergere reperi. Hinc metallica eiusmodi corpora ad hunc vsum non commendanda sunt, quibus quippe purpura vitreis massis rubro colore inficiendis parum accommodata obtineatur.

De mercurialibus quibusdam salibus.

Repetenti mihi nuper varia experimenta, quibus potissimum vegetabilium acidorum in quaedam metalla vim atque efficaciam detegere annitebar, inueni, non solum tartari cremorem et acetum aut destillatione ex terra foliata tartari crystallifata fortius redditum, aut frigore, alioque modo concentratum mercurialibus, aliisque quibusdam metallicis praecipitatis dissoluendis apta esse, sed alia etiam acida, quae ex fructibus nonnullis, velut citreis malis, cerasis acidis, cet. expressione et separatione a mucilaginis partibus obtinentur, eundem in varia humida via calcinata metalla effectum edere, et, quanquam vix crystallifatione, inspissatione tamen metallica salia largiri, in quibus acidum cum metallo intime mixtum est. Etiam si vero haec ipsa salia, quorum praeparandorum ratio molesta valde sit atque taediosa, medicis vsibus commode inseruire nequeunt, mihi tamen propterea, quod vegetabilium succorum in metallicas calces vim demonstrant, consideratione
non